

Michał Wyszyński

De Gratiani iure matrimoniali ex operibus S. Augustini deprompto

Collectanea Theologica 12/2-3, 129-152

1931

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE GRATIANI IURE MATRIMONIALI EX OPERIBUS S. AUGUSTINI DEPROMPTO.

„Tanquam ex uberrimo fonte plurima exhaustit Gratianus ex operibus Augustini... gratulandum mihi erit Gratiano, quod ingentem capitulorum copiam ex tanto Doctore exhaustam studiosis Sacrorum Canonum cultoribus exhibuerit, quamquam alias et quaedam interseruerit vel non satis probe, integreque descripta, vel spuria, vel etiam ab eiusdem sententiis penitus aliena“, — quae Berardi dicta¹⁾, etsi non quoad totum Gratiani Decretum applicari possint, verificantur apprime in Causis: 27—36, uti notum, ius matrimoniale complectentibus²⁾. Quod enim ipsam copiam canonum attinet, inveniuntur ibi ex Augustino circa 80, ergo quarta pars omnium. Equidem causae 29. 30 et 36 sine Augustino digestae sunt, tamen reliquae eius canonibus circumfluunt, imo nonnullae quaestiones superabundant, quin etiam ex ipsis solum constant. Neque ex uno alterove Augustini opere deprompti sunt hi canones, nam, si iuxta Gratiani inscriptiones numerabis, habebis circa 40, si autem ad normam hodiernae artis criticae cum genuinis comparabis, obtinebis 30, quorum: de adulterinis coniugiis, de bono coniugali, de Serm. Domin. in Monte, de nuptiis et concupiscentiis, de bono viduitatis³⁾, de s. virginitate, iterum atque iterum in canonibus repetuntur. Supervacuum esset hic enumerare, quinam canones spurii et quorum textus ex integris Augustini codicibus suppletus vel emendandus sit, quia haec omnia in supra memorato

¹⁾ Cfr. Berardus Car., Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, Venetiis 1785², Vol. IV, Cap. XIX, p. 200, 218.

²⁾ Cum hoc iure connectuntur quoque et distinctiones: 27, 30.

³⁾ Disputant viri eruditi, num liber iure inter Augustini opera re-
censeatur; cfr. Berardi, o. c. IV, p. 306; Scherer, Handbuch des
Kirchenrechtes II, § 122, p. 364². Affirmant: Correctores; ed. Maur.
Friedbergiana ed. Decreti; Bardenhewer, Geschichte d. altkirchl.
Literatur IV², p. 493.

opere Berardi⁴⁾, Richteriana et Friedbergiana editione⁵⁾ Decreti reperiuntur. Praesentis articuli nostri erit solummodo investigare, an et in quantum Gratiani ius matrimoniale, quod in eius expositionibus, dictis necnon rubricis invenitur, genuinis Augustini sententiis correspondeat.

Antequam rem ipsam attingamus, unum praenotemus: Gratianum, etsi in suo opere, universam sui temporis materiem, ius matrimoniale respicientem, in unum collegerit, tamen eam non in hodiernum systema, sed in formam sua aetate vigentium causarum matrimonialium ac deinde plurium ex his causis emergentium quaestionum, concordando discordantes fontes, redigisse. Unde unicuique hodie rem systematice explananti est praecavendum, ne ex solutionibus Magistri, in formam coaevis intelligibilem vestitis, nimis profusae ac certae conclusiones deducantur. Idemque facere suadent et matrimonialia Augustini dicta, quae potius dogmaticum et morale, quam mere iuridicum, argumentum praesefere videntur.

1. Hisce praemissis, incipiamus a matrimonii causa efficiente.

De hac re agit Gratianus in q. 2, C. 27, ubi suscipit disputandum: „an puellae alteri desponsatae possint renunciare priori conditioni, et transferre sua vota ad alium“. Hanc ergo occasionem arripuit Magister disceptandi, utrum matrimonium faciat solus consensus, an etiam copula carnalis. Quod non facit concubitus, neque consensus copulae vel cohabitationis, sed solus consensus cohabitandi et individuum vitae consuetudinem retinendi⁶⁾, pro probatione attulit Gratianus ex iure romano depromptum et a patribus (Isid., Ioh. Chris.) ac papa Nicolao adoptatum principium: „Nuptias non concubitus, sed consensus facit“⁷⁾, necnon in operibus Augustini fundatam sententiam de

4) O. c. IV, p. 200—356, super ed. Maur. fundatum.

5) Delenda sunt in Friedbergiana nota ad c. 5, C. 32, q. 2 n. 42: „non ipsa sunt Augustini verba“, quia textus c. 5 in citato libello invenitur (cfr. Migne 40 p. 385, n. 16).

6) Dictum fundatum in romana definitione matrimonii: § 1 Inst. I, 9: nuptiae sive matrimonium est viri et mulieris coniunctio individuum vitae consuetudinem continens.

7) Cfr. ex iure romano: l. 35 § 1. D. 35; l. 30, D. 50, 17; quoad sequentia cfr. Sehling, Die Unterscheidung der Verlöbnisse im kanonischen Recht, p. 50.

vero matrimonio inter Beatam Mariam et s. Iosephum (cfr. exposit. ad q. 2 et c. 1—3)⁸⁾. Quae tamen auctoritates prima vice apud Gratianum non apparuerunt, adducebantur enim iam antehac et ab aliisque contemporaneis, circa relationes inter consensum et copulam carnalem disserentibus, uti potissima argumenta pro solius consensus sufficientia et copulae inefficacia⁹⁾. Quum iidem fautores ad comprobandum Augustini argumentum etiam ipsius rationes (= B. V. et s. I. vocabantur coniuges, parentes Christi; triplex bonum fuit in eorum coniugio) allegarent, attulit Magister et haec Augustinea fragmenta (c. q. 10, C. 27, q. 2).

Aequivalentne haec omnia Augustini sententiae? Quod non concubitus facit matrimonium, invenitur in eius operibus multoties ac multiformiter probatum, praesertim in libello: Contra Iulianum Pelagianum, qui contrarium tenebat et ex eo veritatem matrimonii inter parentes Christi Domini negabat. Sufficit, si adducimus ex hoc libello generale Augustini dictum: „Nihil aliud dicis esse nuptias, quam corporum commixtionem: ...Numquid tamen negas, sibimet etiam adulteros appetitu mutuo et opere naturali et corporum commixtione coniungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum. Aliud est enim quod nuptiae sunt, et aliud est sine quo etiam nuptiae filios propagare non possunt. Nam et sine nuptiis possunt nasci homines, et sine corporum commixtione possunt esse coniuges: alioquin non erunt coniuges, ut nihil aliud dicam, certe cum senuerint, sibique misceri vel non potuerint, vel sine spe suscipiendae prolis erubuerint atque noluerint. Vides ergo quam inconsiderate nuptias definieris, dicendo eas aliud non esse nisi corporum commixtionem“¹⁰⁾, aliud particulare, matrimonium B. M. V. complectens: „Iam vero de Ioseph, cuius Mariam teste Evangelio coniugem dixi (De nuptiis et concupiscentia, lib. I, n. 12), multa diu dis-

⁸⁾ Praetermissa relatione can. 3 cum Petro Lombardo (cfr. Sehling, Die Unterscheidung der Verlobnisse 81) est indicanda eius dependentia ab Augustini sententia, cfr. e. gr. de s. virginitate c. 4, 6.

⁹⁾ Cfr. Freisen, Geschichte des Canonischen Eherechts, Paderborn 1893², p. 151—173; Sehling, Die Unterscheidung der Verlobnisse, p. 34—103; Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes II, § 112, n. I—III, p. 162—172.

¹⁰⁾ L. V, c. XVI, n. 62 (Migne 44, p. 818). Cfr. Sermo 51 (Migne 38, p. 344), ut infra p. 132.

putas contra sententiam meam, et conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse coniugium: ac per hoc, secundum te, cum destiterint concumbere coniuges, iam non erunt coniuges, et divortium erit illa cessatio¹¹⁾, vel „Non itaque propterea non fuit pater Ioseph, quia cum matre Domini non concubuit; quasi uxorem libido faciat, et non charitas coniugalis... Dicturus erat post aliquantum temporis, Apostolus Christi in Ecclesia, *Reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (1. Cor. VII, 20). Et multos novimus fratres nostros... in nomine Christi ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem continere ab invicem charitatem conjugalem... Nonne sunt coniuges qui sic vivunt, non quaerentes ab invicem fructum carnis, non exigentes ab invicem debitum concupiscentiae corporalis... Ergo si copula est, si coniugium est, si non ideo non est coniugium, quia non fit illud quod etiam in non coniuge fieri potest, sed illicite potest: utinam possent omnes; sed multi non possunt. Non ergo ideo disiungant eos qui possunt, et propterea negent esse vel illum maritum, vel illam uxorem, quia non sibi carnaliter miscentur, sed cordibus connectuntur¹²⁾. Uti vidimus, apud Augustinum nullam inveniri relationem inter matrimonium in fieri et copulam carnalem; etenim concubitus neque consideratur tamquam elementum essenziale, matrimonium ex integro vel ex parte constituens, neque ut elementum integrans, absolutam matrimonii indissolubilitatem efficiens, sed, uti infra videbimus, tamquam medium post peccatum originale licitum ad procreandam prolem ac tolerabile ad sedandam concupiscentiam. Neque affirmari possit, quod hanc sententiam excogitaverit sibi Augustinus ad salvandum B. M. V. verum matrimonium, nam praeter hanc particularem rationem afferebat in suis operibus et alias, mere generales: fieri non posset vel dissolveretur matrimonium inter non concubentes, vel impotentes¹³⁾, vel ex utroque consensu continen-

¹¹⁾ Contra Iul. P. V, c. XII, n. 46.

¹²⁾ Sermo 51, c. XIII, n. 21.

¹³⁾ Quod apud Augustinum non invenitur dirimens impedimentum impotentiae, cfr. Sehling, Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe, p. 13—15, § 2. Augustin. Verba: „Nam homo si concumbere non potest, potius non quaerat uxorem“ (Contra Iul. P. IV, c. II, n. 6) significarent potius impedimentum prohibens.

tiam profitentes. Quin etiam, matrimonia continentium habentur tamquam perfectiora: „Beatiora sane coniugia iudicanda sunt, quae sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint: qua neque contra illud praeceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter vivit: et illud servatur, quod per Apostolum dicitur: *Reliquum est ut qui habent uxores, quasi non habentes sint*“¹⁴⁾.

Iam ex eo, quod Augustinus in ordine ad matrimonium in fieri copulae carnalis omnem vim denegaverit, et ex altera parte nullum sit dubium, quin eius aetate matrimonia per consensum contraherentur¹⁵⁾, erui possit istum Doctorem vim causae matrimonium efficientis soli consensui attribuisse. Numquid praeter hoc argumentum, alterum, directe nostram conclusionem comprobans, adduci possit? Videtur, quod sic. Licet, in quantum nobis notum est, in operibus Augustini non inveniatur dictum, quod solus consensus matrimonium faciat, tamen illud liquide deduci potest ex verbis: pactum¹⁶⁾ (foedus)¹⁷⁾ nuptiale, fides desponsationis¹⁸⁾, societas¹⁹⁾. Non obstat expressum Doctoris dictum: Coniugium facit non commixtio carnalis, sed charitas nuptialis²⁰⁾, quia illud spectare videtur ad postulata ordinis moralis ac socialis²¹⁾ et non iuridici, nisi sub specie affectionis maritalis sumatur. Neque in contrarium facit bonum prolis, ad quod una cum bonis fidei ac sacramenti in Augustini sententia omne matrimonium ordinatur, et quibus omnibus usus est iste Doctor ad comprobendam veritatem matrimonii inter B. M. V. et s. Josephum²²⁾. Certe, haec difficultas procederet, si illud bonum

¹⁴⁾ De Serm. Dom. in Monte I, c. XIV, n. 39 (Migne 34, p. 1249). Cfr. De bono coniugali, n. 3, 9, 10, 15 et passim in aliis operibus de matrimonio loquentibus.

¹⁵⁾ Cfr. Sehling, Die Unterscheidung der Verlöbnisse, p. 24 sq.

¹⁶⁾ Cfr. De bono coniugali, c. IV, n. 4.

¹⁷⁾ Ibidem c. VII, n. 6.

¹⁸⁾ Cfr. De nuptiis et concup. c. XI, n. 12.

¹⁹⁾ Cfr. De bono coniugali C. III, n. 3.

²⁰⁾ Cfr. supra p. 132.

²¹⁾ Cfr. De bono coniugali C. I, n. 1.

²²⁾ Caret probatione assertum Freiseni (Geschichte d. Can. Eherechts 86): triplex bonum inventum fuisse ab Augustino ad declarandum B. M. V. matrimonium. Potius esset affirmandum, illud criterium fuisse conceptum uti generale et postea matrimonio B. M. V. acco-

prolis ad essentiam matrimonii pertineret non solum quoad intentionem sed etiam quoad executionem, quia tunc copula carnalis esset necessaria, tamquam conditio sine qua non, ad consequendum illud substantiale bonum. Sed constat bonum prolis esse de essentia matrimonii tantummodo in suis principiis, i. e. quoad obligationem²³⁾. Et ita videtur Augustinum tenuisse, cum praetermissa prole in matrimoniis continentiam commendaret.

Quod autem matrimonium inter B. M. V. et s. I. attinet, fuse eius veritatem Augustinus explanavit in suo libello: de nuptiis et concupiscentia (Lib. I, c. XI, n. 12) et hanc suam sententiam defendebat contra Iulianum Pelagianum in libello: Contra I. P. (Lib. V, c. XI, n. 44). In utroque casu usus est s. Doctor eisdem rationibus: 1. Secundum Evangelium vocantur coniuges, parentes, maritus; 2. ex desponsationis (prima) fide coniux vocatur; 3. quid opus erat ut usque ad Ioseph generationes perducerentur (Matth. I, 20, 16), si non ea veritate factum est, qua in coniugio sexus virilis excellit?; 4. omne nuptiarum bonum impletum est in illo matrimonio, videlicet: proles, fides, sacramentum. Quarum rationum, uti vidimus, prima et tertia mere scripturistico-dogmaticum argumentum praesefere videntur²⁴⁾, iuridicum vero: secunda ac ultima. Pro clariori intelligentia distinguendae sunt ulterius et istae rationes iuridicae: prima desponsationis fides, quae pactui coniugali aequivalere videtur²⁵⁾, ageret per modum causae istud matrimonium efficientis, tripartitum vero bonum procederet tamquam criterium assecutorum essentialium matrimonii effectuum.

Denique, ut tota nostra materia clarior reddatur et contraria resolvantur, addendum est, quod Augustinus usus est matrimonio B. M. V. ad comprobendam veritatem matrimonii continentium: „Cur ergo non coniuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt; si manserunt coniuges Ioseph et Maria, qui concumbere non coeperunt?“²⁶⁾.

modatum. Cfr. totum libellum De bono coniugali, ubi Augustinus prima vice fusius de hac re agit, tamen sine ulla relatione cum matrimonio B. M. V. Cfr. De Genesi ad litteram IX, c. VII, n. 12.

²³⁾ Cfr. s. Thomas, In IV D. 31, q. 1, a. 3; Suppl. q. 49, a. 3.

²⁴⁾ Cfr. Flunk, Die Vermählung Mariä mit Ioseph, Zeitschrift für kath. Theologie XII (Innsbruck 1888), 656—686.

²⁵⁾ Cfr. Sehling, Die Unterscheidung der Verlöbnisse 55 sq.

²⁶⁾ De nuptiis et concupisc. I, c. XII, n. 13.

Hisce ex Augustini operibus assecutis et comparatis cum superioribus per Gratianum adductis, concludendum est: Magistro multa, quae Augustinus pro matrimoniali consensu et contra copulam carnalem explanaverit, ignota fuisse. Nil mirum. Cum Gratianus genuina Doctoris exemplaria non habuerit, hauriebat ex illis, quae, in recentiores sui temporis collectiones et opera incidens, invenerat, videlicet: genuinam Augustini sententiam de matrimonio B. M. V.²⁷⁾, pro sufficientia matrimonialis consensus loquentem, ex una parte, et ex altera eidem Doctori false adscriptum dictum: „Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus“²⁸⁾, expresse requirens copulam carnalem ad matrimonium in fieri. Quod Ps.-Augustini dictum excogitatum fuisse videtur a fautoribus copulatheoriae et simul cum altero depravato Leoniano allegatum fuisse contra adversarios, fundantes sententiam suam in vero matrimonio B. M. V. Quam ob rem, ut haec omnia contraria cessent ac dicta Augustini concordarentur, arbitratus est Gratianus faciendam esse differentiam inter matrimonium tantum desponsatione sponsorum vel sponsali coniunctione initiatum et insuper „offitio corporalis commixtionis consummatum“: solum hoc ultimum, „quod habeat in se Christi et ecclesiae sacramentum“ perfectum inseparabileque esse, initiatum vero, „quod nondum offitii sui perfectum est“, separabile. Ut tamen Augustini sententia de vero, etsi sine corporali commixtione, matrimonio B. M. V. salvaretur, agnovit Magister illud uti perfectum, tamen „non ex offitio, sed ex his, que comitantur coniugium, ex fide videlicet, prole et sacramento“²⁹⁾. Considerando hanc distinctionem, introductam per dictum: „quod coniugium desponsatione initiatum, commixtione perficitur“³⁰⁾, pervenimus ad conclusionem: in Gratiani sententia tantummodo matrimonium perfectum rationem veri connubii habere, initiatum vero solummodo nomen connubii et nonnulla bona, correspondentia bonis matrimonii veri, videlicet fi-

²⁷⁾ Cfr. Sehling, Die Unterscheidung der Verlöbnisse 81 sq.

²⁸⁾ Ibidem 82, necnon Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe 34, 44, apud Hincmarum videt initium huius dicti.

²⁹⁾ Gratiani dicta ad c. 34 et 39 C. 27, q. 2.

³⁰⁾ De genesi huius dicti fusius agit Sehling, Die Unterscheidung d. Verlöbnisse 53 sq.

dem desponsationis (sponsalis coniunctionis) et nonnunquam inseparabilitatem, tamen fundatam non in sacramento coniunctionis Christi cum ecclesia sed in aliis rationibus, e. gr. in casu sponsae, „que in propria domo est ducta, et cum sponso suo est velata et benedicta“³¹⁾. Utrum matrimonium initiatum faciat consensus tantum de praesenti, an etiam de futuro (str. d. sponsalia), Magister expresse non dixit, tamen ex exemplis ab eo allatis concludendum erit Gratianum matrimonium initiatum utrumque casum continere. Cui conclusioni non obstat secundaria Magistri solutio: „Potest et aliter distingui. Sponsae appellantur coniuges consuetudine scripturae spe futurorum, non effectu presentium...“ (dict. ad c. 39, C. 27, q. 2), quia ex ulterioribus ibidem Gratiani verbis liquide deduci possit coniuges vero spe futurorum fieri tam — si Hugonis a S. Vict. terminologia utamur — per sponsalia de futuro, quam etiam de praesenti“³²⁾.

Ex quibus omnibus, hucusque dictis, liquent sequentia: generatim loquendo, Gratianum totam quaestionem de causa matrimonium efficienti principaliter ex Augustino disputasse ac solvisse, specialiter, concordando genuinum Augustinum cum Ps.-Augustino, huic ultimo in solutione quaestionis, quod dolendum est, super primo vincere sinuisse; licet copulatheoriae adhaeserit, ex vero Augustino sententiam de vero matrimonio B. M. V. una cum eius rationibus salvasse; bene fecisse, si Augustineum generale criterium ex triplici matrimoniali bono adaptaverit et illud non solum ad matrimonium B. M. V. sed etiam ad aliorum hominum accomodaverit; iniuste deformasse sensum Augustini verborum: „coniux vocatur ex prima fide desponsationis“ in causam tantum matrimonium initiatum efficientem, cum haec verba in sententia Augustini causam matrimonium verum B. M. V. efficientem significare videantur; propter quam deformationem Augustini sententiae eo ipso debilitasse veritatem ipsius matrimonii B. M. V: cum enim praesentia triplicis matrimonialis boni ex parte effectus, finis, et non ex parte causae efficientis agat, neque eam supplere possit, staret itaque B. M. V. matrimonium super sola causa matrimonium initiatum efficienti, esset ergo imperfectum.

³¹⁾ Ibidem 60 sq.

³²⁾ Ibidem 81—96; Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes II, 169²⁴.

2. Matrimonii finis.

Quod matrimonium procreandae sobolis causa est, illud inter canonistas numquam dubitatum fuit. Tum vero disceptare incipiebant, quando movebatur quaestio: utrum iste matrimonii finis essentialis ac operis sit unicus, an etiam alii admittendi. Aetate Gratiani videtur agitatum fuisse: an ea, quae causa incontinentiae ducitur, sit coniux appellanda, si Magister istam quaestionem solvendam sibi expresse proposuerit (q. 2, C. 32). Etenim, breviter in contrarium adductis, pro parte affirmativa exposuit sequentia: „Prima institutio coniugii in paradysio facta est, ut esset immaculatus thorus, et honorabiles nuptiae, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent. Secunda propter illicitum motum eliminandum extra paradysum facta est, ut infirmitas, prona in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur coniugii. Unde Apostolus scribens ad Corinthios ait: „*Propter fornicationem unusquisque suam uxorem, et unaqueque virum suum habeat*“. Et itaque causa fit, ut coniugati se sibi invicem debeant, nec se sibi negare possint. Unde Apostolus: „*Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, et ad tempus, ut expeditius vacetis orationi, et iterum revertimini in id ipsum, ne temptet vos sathanas. Hoc autem dico propter incontinentiam vestram*“. Qui ergo propter incontinentiam in naturalem usum redire moentur, patet, quod non propter filiorum procreationem tantum misceri iubentur. § 1. Non tamen ideo nuptiae malae iudicantur. Quod enim preter intentionem generandi fit, non est nuptiarum malum sed est veniale propter nuptiarum bonum, quod est tripertitum; fides videlicet, proles, et sacramentum“ (II. Pars, ad c. 2, C. 32, q. 2). Quod fundamentale Magistri dictum ad verbum ideo submisimus, quia ostendere volumus illud ex variis Augustini locis confectum fuisse, scilicet ex libellis: de bono coniugali (c. 4, 6, 8), de nuptiis et concupisc. (I, c. 14, 16), contra Iul. Pelag. (V, c. 9), sermo 51 (c. 13), ubi huiusmodi asserta ac resolutiones fusius explanatae inveniuntur. Quum et ulteriora, illud fundamentale explicantia, dicta fundata sint canonibus, expresse ex Doctoris operibus depromptis (cfr. c. 3, 5—9), perspicue liquet Gratiani definitivum assertum: „quod quamvis aliqui non filiorum

procreandorum, sed incontinentiae causa conveniunt, tamen coniuges appellantur“ nonnisi Augustino inniti.

Et reapse, haec omnia in supra allatis Doctoris operibus leguntur. Videtur, tempore Augustini istam quaestionem multum agitatam fuisse. Nil mirum. Equidem contrahebantur connubia cum matrimonialibus tabulis, de quibus in conspectu attestantium recitabantur verba: *Liberorum procreandorum causa*, tamen postea coniuges prolis generationem vitabant ac matrimoniali concubitu satiandae libidini utebantur³³). Imo, persaepe pro incontinentia copulabantur solius concubitus causa³⁴). Quod in hoc ultimo casu matrimonium iuridice valuit, colligitur ex sequenti Doctoris asserto: „Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem quamvis non causa coniuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Caeterum, si vel utrumque, vel unum horum desit, non inveno, quemadmodum has nuptias appellare possimus³⁵). Dolendum est ergo, quod Gratianus, qui ista verba allegat (c. 6, C. 32, q. 2), illam dependentiam a fine primario in suo dicto expresse non exhibuerit. Quod vero Augustinus huic fini: propter remedium concupiscentiae ultimum locum assignaverit et primum prolis generationi, possumus multa adducere³⁶), sed brevitate causa praetermittimus. Manet, ut hic adiciamus unum dictum: „Habeant coniugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant“³⁷), ex quo liqueret iuxta Augustinum cum fine primario iungendam esse prolis educationem. Illud quoque Gratianus hic silentio praetermisit.

Uti vidimus, uterque finis, scilicet: filiorum procreandorum causa et propter remedium concupiscentiae, habent pro

³³) Cfr. Sermo 51, c. 13; De bono coniugali, c. 5.

³⁴) De bono coniugali, c. 5.

³⁵) Ibidem. Talis matrimonii validitas colligitur quoque ex libello de bono viduitatis, ubi viduis habentibus prolem consulitur, ut propter incontinentiam nubant.

³⁶) Cfr. e. gr: De bono coniugali, n. 6, 19; De nuptiis et concupisc. I, n. 5; Sermo 51, n. 22.

³⁷) De s. virginitate, n. 12.

medio copulam carnalem, quae propter bonitatem matrimonii vel laudatur (relate ad finem primum) vel tolleratur (relate ad finem secundarium³⁸). Cum autem apud Augustinum continentia a carnali commixtione etiam inter coniugatos ex pari consensu valde laudetur et matrimonium inter impotentes exclusum non sit³⁹), admittendus esset ergo etiam talis essentialis matrimonii finis, qui in sua consecutione copula carnali uti conditione sine qua non non egeret. Non dubito, quin talis finis includatur in sequenti Doctoris asserto: „Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non iam diceretur coniugium in senibus, praesertim vel si amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono licet annoso coniugio, etsi emarcuit ardor aetatis inter masculum et feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum et uxorem...“⁴⁰) et cum mutuo adiutorio coincidat. Tamen de isto fine nulla fit mentio apud Gratianum, fortasse ex eo, quia Magister copula-theoriam secutus sit. Quocumque res ceciderit, ista differentia est hic adnotanda.

3. Impedimenta.

Ex dispersitis ac indistincte digestis Gratianeis matrimonialibus impedimentis venient hic in considerationem tantummodo quae in Augustini operibus fundata sunt.

a) Impedimentum voti.

Istius materiae sedes invenitur in q. 2, C. 27, ubi expresse quaeritur: „an coniugium possit esse inter voventes?“ Magister, postquam pro negativa parte 40 capita adduxisset, rem ita solvit: „His omnibus auctoritatibus voventes prohibentur contrahere matrimonia, et quidam eum si contraxerint, separari iubentur“ (dict. ad c. 40).

Inter auctoritates, hanc partem probantes, collocata sunt quoque tria Augustini capita (c. 20, 21, 33). Quorum primum

³⁸) De bono coniugali, n. 12 et passim in libellis: de nuptiis et concupiscentia, contra Iul. Pel. III, n. 30, Sermo 51, n. 22.

³⁹) Cfr. supra p. 138.

⁴⁰) De bono coniugali, n. 3.

saltem matrimonium prohiberet, si ex genuino Doctoris opere procederet⁴¹⁾, nam duo posteriora, etsi authentica videantur⁴²⁾, tamen ad rem nil faciunt. In omnes casus, superior Gratianea resolutio praecise istis Augustini locis non innititur. Totum contra est, si descendamus ad resolutionis partem secundam, ubi Magister ex longo fragmento Augustinei libelli: de bono viduitatis sibi rursus obiicit, quod peccatum esset separare matrimonia inter voventes contracta (c. 41) et hanc difficultatem denique dissolvit foedere distinctionis: matrimonia simpliciter voventium non sunt separanda, secus eorum, „quibus post votum accedit benedictio consecrationis vel propositum religionis“ (dict. ad c. 43 et dict. ad c. 8, D. 27).

Numquid praedicta omnia sustineri valeant, inspiciamus ex ordine ipsum Augustinum. Vestigia aliorum persequens et ipse docebat bonum continentiae, castitatis, coelibum, viduitatis, virginitatis, melius esse quam nuptiarum, castitatis nuptialis⁴³⁾. Quod particulariter virginitatem attinet, distinguebat inter simplicem et sanctam. Ad primam pertinebant virgines, quae integritatem carnis servabant ex eo, quia nemini nupserint, ad secundam vero, quae continentiae castitatem Deo vovebant. De his ultimis agitur in libello: de sancta virginitate, ubi virgines vocantur: sacrae; Deo dicatae; quarum integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, consecratur, servatur; sanctionales⁴⁴⁾. „Hoc genus virginum nulla corporalis fecunditas protulit: non est haec proles carnis et sanguinis. Si harum quaeritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi virgo sacra illa quae desponsata est uni viro casta exhiberi Christo (II Cor. XI, 2). Ex illa non tota corpore, sed tota virgine spiritu, nascuntur sanctae virgines et corpore et spiritu“⁴⁵⁾. „Nulla ergo carnis fecunditas sanctae virginitati etiam carnis

⁴¹⁾ Quod liber de conflictu vitiorum et virtutum falso adscriptus sit Augustino cfr.: Bernardi, Gratiani canones IV, p. 314; Friedbergiana editio Decreti ad c. 20, C. 27, q. 2.

⁴²⁾ Cfr. supra p. 129.

⁴³⁾ Cfr.: de bono coniugali, n. 8, 9, 27—29; passim in libellis de sancta virginitate, de bono viduitatis, etc. Excipiendum est matrimonium B. M. V. (cfr. de s. virginitate, n. 3—6), necnon nuptiae fidelium virginitati anteponuntur impiarum (cfr. de bono coniugali, n. 8).

⁴⁴⁾ Cfr. n. 6, 7, 8, 11, 46, 57.

⁴⁵⁾ De s. virginitate, c. XII, n. 11, 37.

comparari potest. Neque enim et ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quae licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet et servat continentia pietatis⁴⁶⁾. Consulto haec omnia submisimus, quia volumus ostendere, etsi Augustinus in suis operibus inter voventes coram Ecclesia et voventes privatim (virgo velata et non velata)⁴⁷⁾ expresse non distinguat, tamen quae nuper adduximus potius prioribus applicanda essent. Neque fit apud eum mentio de voventibus temporariam continentiam, nam vocat: „Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his et huiusmodi omnibus carentem vitiiis et maculis morum“⁴⁸⁾. Haec sunt de virginibus. Idem apud Augustinum leguntur quoque de viduis, quae voti libertate se obstrinxerunt et vidualem continentiam Deo voverunt⁴⁹⁾. Nam, — concludit alio loco Doctor, — „melius nubere quam retro post satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere et interire. Proinde quae se non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant: quod nisi reddant, jure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit (Apostolus), *Cum enim in deliciis egerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem quoniam primam fidem irritam fecerunt: id est, voluntatem ad nuptias a proposito continentiae deflexerunt*“⁵⁰⁾.

In quo ultimo Apostoli dicto videtur fundata esse in ecclesia praxis damnandi sacras virgines et viduas, quae spreto voto nupserunt aut nubere voluerunt⁵¹⁾. Cui praxi Augustinus astringens in libello de bono viduitatis docebat: „quae aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur: sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua ex-

⁴⁶⁾ Ibidem, n. 8.

⁴⁷⁾ Synodus romana 402? cfr. Freisen, Geschichte d. can. Ehe-rechts 679.

⁴⁸⁾ De s. virginitate, n. 34.

⁴⁹⁾ Cfr. de bono viduitatis, c. III—XII.

⁵⁰⁾ De bono viduitatis, c. VIII, n. 11.

⁵¹⁾ Cfr. Maurinorum admonitio in opusculum de bono viduitatis (Migne 40, p. 429); Freisen, Geschichte d. c. Ehrechts 676 sq.

petita et electa et voti debito oblata, jam non solum capescere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est... non quia nuptiae vel talium damnandae iudicantur; sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore: postremo damnantur tales, non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiae primam fidem irritam fecerunt...⁵²).

Ex industria s. Doctor nuptias voventium liberat a damnatione, quia non defuerunt qui tenebant talium nuptias non esse nuptias sed potius adulteria et ex eo postulabant, ut a maritis separentur, quia adulterae sint, non uxores. Tales Augustinus reprehendit verbis: „non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant: fallit eos quippe similitudo veritatis...“ et concludit: „qua propter non possum quidem dicere, a proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse, non coniugia: sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quae vovetur Domino, adulteriis esse peiores“⁵³).

Non defuerunt, qui istam Augustini sententiam infirmare studebant ex eo, quia s. Doctori non congrueret et essent gravia argumenta, ne opusculum de bono viduitatis, in quo superior sententia continetur, Augustino adiudicaretur⁵⁴). Sed tenendo istum libellum spurium esse, prolata sententia sustentari possit ex aliis eius genuinis locis, videlicet, ex coniugiis adulterinis, ubi post continentiae votum matrimonium contrahentes pro peccatoribus reputantur⁵⁵), et ex epistola ad Bonifacium comitem, cuius matrimonium, etsi post votum continentiae contractum, neque invalidari neque separari iubetur⁵⁶). Quod autem ista

⁵²) De bono viduitatis, c. IX, n. 12 (cfr. c. 41, C. 27, q. 1).

⁵³) De bono viduitatis, c. X, n. 13; c. XI, n. 14 (c. 41, C. 27, q. 1).

⁵⁴) Cfr. supra.

⁵⁵) C. XXIV, n. 30 (c. un. C. 32, q. 8).

⁵⁶) C. 2, C. 17, q. 2. Istud argumentum apud Freisen, Geschichte d. c. Eherechts 683 sub dubio versatur ex eo, quia ibi de proposito et non de voto loquatur. Sed minus acute concludit. Etenim praeter propositum ingrediendi in religionem, de quo abbreviatus Gratianus textus, legitur in integro, quod Bonifacius antehac continentiae votum fecit (cfr. ad Bonifacium comitem, apud Maurinos ep. 220: „tu autem... succinctus balteo castissimae continentiae,... Uxorem autem non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam concupiscentia victus“).

sententia ipso Augustino non refragatur, sufficienter liquet ex eis, quae pro hac materia Maurini adduxerunt⁵⁷⁾.

Ex quibus omnibus, ex Augustino allegatis et cum Gratiani dictis comparatis, procederent ergo sequentia: Magister concordat cum s. Doctore in eo, quod voventium matrimonia prohibentur, discrepat autem in assertione, quod omnes voventes, quos Augustinus post contractum matrimonium separari non iubet, sint adnumerandi simpliciter voventibus et non illis, „quibus post votum accedit benedictio consecrationis, vel propositum religionis“. Etenim Bonifacius comes, etsi votum continentiae fecerit et „se in otium sanctum conferre, atque in ea vita“ vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt“, voluerit, tamen non exhortatur, ut uxorem suam derelinqueret⁵⁸⁾. Imo Augustinus in opusculo: de bono viduitatis expresse tenet minus consideratam esse opinionem eorum, qui in tali casu volunt separare coniuges⁵⁹⁾. In omnes autem partes, non inveniuntur apud Augustini voventes tales qualitates, qui indicarent illos simpliciter voventibus esse adnumerandos. Potius contrarium deduci possit. Haberetur ergo exemplum, quomodo Gratianus, in distinctionem votorum incidens, integram materiem dividebat et in alienam, imo contrariam significationem detorquebat. Videtur probabilem esse coniecturam Freiseni, quod Gratianus non ausus sit affirmare propter votum posse matrimonium dirimi⁶⁰⁾. Qua interpretatione admissa, concordaret Magister cum s. Doctore saltem in puncto principali.

b) Impedimentum ligaminis.

Pro consideratione istius materiae plura possint dici, quia haec tam apud Augustinum quam et Gratianum varios habet

⁵⁷⁾ Cfr. Eorum admonitio in opusculum de bono viduitatis (Migne 40, p. 429).

⁵⁸⁾ Freisen (Geschichte d. c. Eherechts 683) videt rationem huius actus in eo, quod uxor Bonifacii, nihil de voto sui viri sciens, innocenter et simpliciter ei nupserit. Secundum autem nostram opinionem, talis nexus causalis ex ipso contextu expresse non liquet.

⁵⁹⁾ Cfr. c. X, n. 13.

⁶⁰⁾ Cfr. Freisen, Geschichte d. c. Eherechts 696. Quae opinio posset confirmari ipso Gratiano dicto: „tanta est vis in sacramento coniugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi coniugium ipsum“ (dict. ad c. 1, D. 27).

sinus et plures continet recessus. Etenim prioribus Ecclesiae saeculis monogamia opponebatur non solum poligamiae simultaneae sed etiam successivae. Etsi non defuerunt, qui inter fideles utramque monogamiam habere voluerunt, sed, uti constat, ecclesiasticae curae erat praecipue postulare ac custodire primam. Quod tamen ad obtinendum erat perdifficile; minime ex eo, quia viri simultaneae plurimas legitimas uxores habuerint, sed potius ea de causa, quia infideles necnon judaei contracta matrimonia solvabant et vivente uxore dissoluta vel repudiata alteram ducebant. Imo, permultis videbatur, quod praeter expressum privilegium Paulinum etiam fidelium matrimonia dissolvi possint, videlicet fornicationis causa. Cui ergo praxi ac falsis opinionibus patres se opposcentes, coacti sunt sine ulla intermissione conflictare pro matrimonii indissolubilitate ex una parte et ex altera pro invaliditate coniugiorum adulterinorum, idest contractorum vivente dissoluta vel derelicta coniuge.

Totius tamen huius dimicationis laus tribuitur Augustino, multoties ac multiformiter de hac re scribenti. Sufficit nominare eius opera: de Sermone Domini in Monte, de bono coniugali et de coniugiis adulterinis et allegare generale dictum: „Usque adeo foedus illud ininitum nuptiale cuiusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem vivente viro, et a quo relicta est, moechatur, si alteri nupserit... Miror autem si quemadmodum licet dimittere adulteram uxorem, ita liceat ea dimissa alteram ducere... Quomodo autem viro possit esse licentia ducendae alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quae si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Possit enim homo dimittere sterilem uxorem et ducere de qua filios habeat: et tamen non licet; et nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut amplius habeat quam unam vivam: et utique relicta adultera vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut divina regula praescribere videtur; quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas coniugalis?... Siquidem interveniente divortio non abuletur illa confederatio nuptialis: ita ut sibi coniuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus

fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri“ (de bono coniugali, c. VII, n. 6, 7).

Ex istis ergo et consimilibus Augustini dictis evolvebatur in ecclesiastica iurisprudencia ipsa materia impedimenti ligaminis, eo magis, cum rerum facies ex s. Doctoris tempore minime mutaretur sequentibus saeculis⁶¹). Unde multa de hac re ex Augustino inveniuntur in ante-gratianeis collectionibus et denique ipse Gratianus, in recentiores sui temporis collectores incidens, plurima in suo Decreto congressit ad solvendam quaestionem: „si ille, qui dimiserit uxorem suam causa fornicationis, illa vivente aliam ducere poterit?“ (q. 7, C. 32) et alteram cum illa connectentem: „an sit rea adulterii, que vivente viro suo alteri nupsit?“ (q. 1, C. 34). Resecando itaque, quae ibi ad alias quaestiones spectant, concludendum est Gratianum in collegenda materie pro impedimento ligaminis praecipue Augustino inniti.

c) Impedimentum consanguinitatis.

„Hic primum quaeritur, si liceat aliquam ex propria cognatione duci in uxorem?“; ita Gratianus disputationem de impedimento consanguinitatis incoepturus (cfr. expositio ad C. 35). Quam quaestionem videtur tempore Magistri multum agitatam fuisse, si ei in Causa specialis locus assignatus fuerit. Nil mirum. Agebatur enim de stabiliendo fundamentali principio, quo consanguinitatis impedimentum aut restringeretur aut extendere-tur. Quum Gratianus secutus sit sententiam eorum, qui matrimonia inter consanguineos quam maxime prohibere studebant⁶²), amplexus est ergo sociale Augustini principium, videlicet: „Habita enim est ratio certissima caritatis, ut homines, quibus esset utilis atque honestissima concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac si ad socialem vitam diligentius plurimae plurimos obtinerent“ (c. un., C. 35, q. 1).

Quod ipsum principium attinet, reapse invenitur in opere de civitate Dei (XV. c. 16), adductum occasione, cum s. Doctor

⁶¹) Cfr. Sehling, Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe, p. 16—39; Freisen, Geschichte d. c. Ehrechts, p. 365 sq., 769 sq.

⁶²) Cfr. Scherer, Ueber das Ehrecht bei Benedict Levita und Pseudo-Isidor, 27 sq.; Freisen, Geschichte d. c. Ehrechts 371 sq.

improbaverat inhonestos gentilium mores in contrahendis inter consanguineos connubiis et docuerat minime illis suffragari posse exempla ex V. T. deprompta. Illud vero intime cohaerere videtur cum fundamentali idea matrimoniali, quam Augustinus initio sui libelli: de bono conculi exhibuit, quae sonat: „Quoniam unusquisque homo humani generis pars est, et sociale quiddam est humana natura, magnumque habet et naturale bonum, vim quoque amicitiae; ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanae societatis copula vir et uxor est“. Socialis ergo caritas (amicitia) inter homines propaganda — en Augustini norma, qua connubia inter propinquos prohibentur et inter remotos suadentur. Non est hic investigandi locus, utrum ipse Augustinus istius normae auctor fuerit, an ipsa ab alio originem habuerit. In omnes partes, est advertendum, quod ista sub nomine et auctoritate s. Doctoris una ex motivis causis fuit, ob quam impedimenta consanguinitatis et affinitatis in tam remotos gradus sunt subducta.

Super hoc itaque Augustineo principio est fundata ac resoluta supermemorata Gratiani quaestio. Ad quemnam consanguinitatis gradum permittuntur connubia, Magister hoc loco non agit, tantummodo mentionem facit determinationem graduum pertinere ad institutiones ecclesiasticas (dict. ad c. un., C. 35, q. 1). Cui sententiae correspondere videntur ulteriora Augustini (de civitate Dei XV, 16) verba: „Experti autem sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit et nondum prohibuerat lex humana“⁶³). Quae verba tamen Magister non allegavit, sed arrepta occasione, tam in expositione ad q. 1, C. 35, quam in dicto ad c. un. eiusdem quaestionis fuit totus in explicandis ex V. T. depromptis exemplis, quae Augustineo principio contradicere videantur. Hac in re iterum s. Doctor fuit auxilio, videlicet per sua dicta: de necessitudinibus, temporis differentiis (secretis, sacramentis)⁶⁴).

⁶³) Quod per legem humanam intelligenda est ecclesiastica cfr. observationem Freiseni, Geschichte d. c. Eherechts, 377.

⁶⁴) Cfr. e. gr. de bono coniugali c. 13, 15, 18.

d) Impedimentum criminis.

Istius materiae sedes invenitur in q. 1, C. 31, ubi Magister quaerit: „an possit duci in coniugium que prius est polluta per adulterium?“ et resolvit: „nisi peracta post poenitentiam et si nichil in morte viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulterae non dedit, sumpturum eam sibi in coniugem, si viro eius superviveret“ (dict. ad c. 3).

Antequam autem Gratianus ad hanc conclusionem pervenisset, arbitratus est sibi praemittendam esse disputationem, num simplex adulterium, idest non qualificatum, impedimentum matrimoniale constituat. Itaque pro parte affirmativa allegavit Leonis Papae adscriptum assertum: „Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio“⁶⁵⁾, pro negativa vero adduxit Augustini dictum: „Denique mortuo eo, cum quo fuit verum connubium fieri potest coniugium, cum qua precessit adulterium“⁶⁶⁾. Dissolvit vero inde exortam difficultatem hoc modo: „auctoritas Augustini loquitur de repudiata, ...cuius adulterii aliquam habet veniam, dum eius copula creditur esse licita. § 1. Illud vero Leonis Papae de ea intelligendum est, que a viro suo non erat repudiata, cuius vivebat vir, reddens ei coniugale debitum“ (dict. ad c. 2).

Respondeatne Gratiana distinctio Augustini sententiae? Non procederet, si allatus textus extaret solus. Cum autem ex contextu evidenter consequatur Augustinum citato loco loqui de adulterinis connubiis, quorum alterutraque pars a primo coniuge repudiata tantummodo secundum matrimonium civiliter contrahere potuerit⁶⁷⁾, iure propterea gratulandum nobis esset

⁶⁵⁾ C. 1, C. 31, q. 1. Quod vero illud assertum a Leone P. non procedit, sed ex statutis Triburiensis concilii (895) depromptum fuerit, cfr. *Berardi*, Gratiani canones I. 422, II. 300; *Friedbergianae notae* ad c. 1, C. 31, q. 1.

⁶⁶⁾ Usque ad editionem Augustini operum per Maurinos factam dubitatum fuit, an ille textus genuinus sit et non supplendus per particulam: „non“ (fieri non potest). Post editionem illud dubium solutum est. Quoad ulteriora argumenta cfr. *Berardi*, o. c. IV, 310.

⁶⁷⁾ „Quod si quisquam fecerit, non lege huius saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus, propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur: sed lege Evangelii reus est adul-

Magistro, quod (scienter sive inscienter) super ista Augustinea adulterinorum connubiorum specie suam distinctionem construxit. Sed mirandum est, cur in secunda istorum connubiorum specie, ubi nulla pars repudiata fuerit, auctoritate Leonis P. in matrimonium duci prohibuerit, si secundum dictum ad c. 3 simplex adulterium non sufficeret ad constituendum impedimentum. Respondere quis posset: non sufficeret ad impedimentum dirimens, de quo in q. 1, C. 31, sed fortasse sufficeret ad impedimentum prohibens. Tamen, admissa et non concessa hac interpretatione, difficultas maneret, videlicet ex eo, quia Gratianus in q. 1, C. 32, ubi ex simplici quoque adulterio ante poenitentiam peractam deduci quoque videatur impedimentum impediens⁶⁸⁾, inter illas duas species adulterorum non distinxerit. Inde sequeretur, quod supra memorata Gratianea solutio longius progressa sit, quam ei fontes concesserunt. Neque, in quantum nobis notum est, in Augustini operibus inveniuntur quaelibet alia dicta, quae Magistri solutionem comprobarent. Imo, non desunt graves auctores, qui tenent Augustini aetate neque adulterium simplex neque qualificatum fuisse impedimentum dirimens matrimonii, et si impediens, tantummodo propter crimen, poenitentiam causans⁶⁹⁾.

4. De coniugum separatione.

Huius materiae discussio necnon solutio fundantur apud Gratianum in principali distinctione, videlicet inter matrimonium initiatum et perfectum: „Cuncta ergo que de non separando coniugio inducta sunt, de perfecto intelliguntur, quod sponsali coniunctione est initiatum, et offitio corporalis connixtionis est consummatum. Illa vero, quibus separabile coniugium ostenditur, de initiato intelliguntur, quod nondum offitio sui perfectum est“ (dict. ad c. 39, C. 27, q. 2). Quam distinctionem fideliter sequens, docuit Magister, quod matrimonium consummatum nullo

terii; sicut etiam illa si alteri nupserit (Matth. XIX, 8, 9). Usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius inter se coniuges qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliis adhaerunt“ (de nuptiis et concupisc. I, c. 10).

⁶⁸⁾ Cfr. Freisen, Geschichte d. c. Eherechts 620 sq.

⁶⁹⁾ Ibidem, p. 622 sq.

modo dissolvi potest inter viventes, neque per captivitatem vel fugam, neque meliorem vitam, subsequentem impotentiam (sterilitatem) vel servitutem, nec si alteruterque coniugum a fide discesserit, vel adulterium commiserit. E contra, si in talibus casibus de matrimonio initiato ageretur (Cfr.: C. 1, 2, 4, C. 6, C. 29, q. 2).

Ad Augustinum in hoc puncto transeuntes, praenotemus praeprimis illud fundamentale discrimen, quod in eius operibus neque vestigium inveniri potest de duabus Gratianeis matrimonii speciebus: initiato et perfecto. Uti iam diximus supra, in sententia s. Doctoris utrumque connubium, ergo et non consummatum, rationem matrimonii veri ac perfecti habet. Pro utroque igitur valet eius generale dictum: „Semel autem initum connubium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiae gerunt, nullo modo potest nisi alicuius eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita ut jam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem coniuges manent“ (de bono coniugali, c. XV, n. 17). Quod istam matrimonii indissolubilitatem attinet, plura possumus ex Augustino congerere, quia de hac re multa disseruit, tum more praeceptoris explanando peculiarem speciem matrimonialis boni: bonum sacramenti, tum defendendo istam essentialem proprietatem contra adversarios⁷⁰⁾. Hic tamen praeterire nequimus, quod iam occasione impedimenti ligaminis notavimus, videlicet, quae ab Augustino sunt exhibita pro intellectu verborum Christi: „Dico autem vobis, quia qui-
rumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur“ (Matth. 19, 9). Non defuerunt enim, qui tenebant ob adulterium posse virum suam uxorem dimittere et aliam ducere; aliis verbis, in tali casu matrimonium esset solubile. Huic tamen sententiae fortiter ac multoties refragabatur s. Doctor, asserendo etiam in tali casu indissolubile manere vinculum matrimoniale.

⁷⁰⁾ Cfr.: de bono coniugali, de Sermone Domini in M., de coniugiis adulterinis, contra Iul. Pel.

Ex his igitur Augustini dictis argumentabatur posterior iurisprudencia, cum agebat de matrimonii indissolubilitate⁷¹⁾. Collectorum vestigia secutus est quoque Gratianus (c. 1, 2, 3. 4, 10. 27. 28. C. 32, q. 7), applicando illa fragmentaria dicta suis matrimoniis perfectis. Haec sunt de nuptiis inter fideles contractis.

Quod autem indissolubilitatem matrimonii inter infideles spectat, venit hic in considerationem tantummodo casus privilegii Paulini, idest, si una pars fieret fidelis (I. ad Cor. VII, 12—16). Iuxta ergo Augustinum posset coniux fidelis tali in casu dimittere infidelem, tamen non expediret, non... propter vinculum cum talibus coniugale servandum, sed ut acquirantur in Christum⁷²⁾. Illud vero: non expediat obligaret non ex iustitia sed ex libera caritate, si coniux infidelis discedere noluerit; nam si discesserit, sine ulla culpa relinqueretur a fidele⁷³⁾. Numquid hisce in casibus coniugale vinculum solveretur et alter uterque coniugum ad novas nuptias transire possint? Nil de hac re invenitur in Augustini operibus. Consideranti tamen rationem dimittendi vel discendenti: infidelitas fornicationi uti species subicitur⁷⁴⁾, concludendum erit s. Doctorem ultra separationem a toro et cohabitatione non sinuisse in casu. Quid ad hoc Gratianus? Praeprimis est advertendum, quod in disserenda ista materia multa ex Augustino deprompsit (c. 4—9, C. 28, q. 1). Quae tamen dicta allegavit tantummodo ad probandum: inter infideles coniugium esse et coniux conversa alteram propter infidelitatem relinquere posse, praesertim cum pars infidelis cum fidele cohabitare noluerit. In omnes partes, non ausus est Gratianus ex istis Augustineis locis affirmare propter privilegium Paulinum vinculum coniugale posse dissolvi. Fecit hoc, sed in quaestione sequenti (q. 2, C. 28), ubi ex Ps.-Gregorio Magno deduxit sibi dictum: „Hic distinguendum est, aliud esse dimittere volentem cohabitare, atque aliud discendentem non sequi. Volentem enim cohabitare licet quidem dimittere, sed non ea vivente aliam superducere; discendentem vero sequi non oportet, et ea vivente aliam ducere licet“ (cfr. dict. ad c. 2, C. 28, q. 2).

⁷¹⁾ Cfr. Freisen, Geschichte d. c. Eherechts, p. 769—802.

⁷²⁾ De coniugiis adulterinis I, c. 13.

⁷³⁾ Ibidem, c. 13 sq.

⁷⁴⁾ Cfr. infra p. 151.

Ex ordine descendamus ad ipsam imperfectam coniugum separationem, idest quoad cohabitationem seu quoad mensam et torum.

Uti iam notavimus supra, Augustinus secutus est sententiam eorum, qui tenebant ex scripturisticis locis (Mt 19, 9; 1 Cor. 7, 10—11) nonnisi separationem fornicationis causa deducendam esse. Quam fornicationem censuit s. Doctor esse hic non restringendam ad stuprum, sed ampliandam ad fornicationem spiritualem: „si infidelitas fornicatio est, et idolatria infidelitas, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quae in stupris cum alienis viris aut feminis comittuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose turpiterque corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum: quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut supra consideratum est, generalem et universalem intelligere cogimur“ (de Sermone Domini in Monte I, c. 16, n. 45). Ne autem coniuges sub quolibet pretextu dimitterentur, definiuit Augustinus adulterii crimen, dicendo ipsum tunc locum habere, „cum vel propriae libidinis instinctu, vel alienae consensu, cum altero vel altera contra pactum coniugale concumbitur“ (de bono coniugali, c. 4); e. gr. oppressa coniux nequiret dimitti, quia aliena et non sua libido eam pollueret⁷⁵). Imo, etiam in casu culpatae fornicationis privaretur altera coniux dimittendi iure, videlicet, quando et ipsa adulterii crimine infecta esset. Neque concessit s. Doctor sub hoc respectu viri conditionem esse meliorem quam mulieris, prout fecerunt iura: romanum vel iudaicum. E contra, in ipsius sententia viri adulteri sunt gravius puniendi. Quoad ipsam separationem, utrum perpetua an temporaria esse debeat, respondet Augustinus nil obstare, quod pars dimissa post factam poenitentiam ad innocentem coniugem reverti non possit. Permittitur autem utrique, quandoque suadetur, ut separati continentiam profiterentur, etiamsi sine alterius consensu. Qui consensus esset necessarius, si alteruterque coniux

⁷⁵) Cfr.: De civitate Dei I, c. 18, 19, 27; de s. virginitate, c. 8; de libero arbitrio, c. 5; epistolae CXXII, CLXXX.

tempore vitae communis, ergo extra separationis casum, continentiam vovere voluerint (cfr. de Sermone D. in M. et de coniugiis adulterinis).

Sub talibus ergo conditionibus admissa erat secundum Augustinum coniugum separatio fornicationis vel continentiae causa. Et hanc sententiam, sine ulla mutatione, adaptavit Gratianus (cfr. c. 7, 8, C. 32, q. 1; expositio ad eandem quaestionem; c. 3, 4, 6, 9, 16, 18, C. 32, q. 5; dict. ad c. 16 eiusdem quaestionis; q. 6, C. 32; c. 24, C. 27, q. 2).

Post haec omnia systematice recteque, ut arbitror, discussa nemo non videt, quam Gratianeum ius matrimoniale Augustineis dictis inniti. Nil mirum. Augustinus, qui de quaestionibus matrimonialibus sui temporis abunde disseruerat, in suis operibus tam plura more praeceptoris vel defensoris congegisset, quod eius dictis nutriri potuerunt non solum scientiae: dogmatica et moralis, sed etiam iurisprudentia, praesertim cum agebatur de matrimonii natura, fine, proprietatibus ac nonnullis eius impedimentis. In crescente enim istius praeclarissimi Doctoris auctoritate multiplicabantur in canonum collectionibus et matrimonialia eius fragmenta, tum vera ac genuina, tum spuria et depravata, detorquentia aliquando eius dicta in contrariam significationem. Quae itaque omnia fragmenta Gratianus in unum collegit et invalescente sua aetate theologiae scholasticae methodo, qua in utramque partem singula disputabantur ac concordabantur, fuit totus in deducendis ex istis fragmentis rationibus, quae ipsius doctrinam de iure matrimoniali comprobarent. Inde Magistri meritum et demeritum: illud, quia praecipue super Augustinea auctoritate suum ius matrimoniale digessit, hoc autem ex eo quia nonnullas solutiones suas (e. gr. de matrimonio initiatio et perfectio, vel de voto simplici et solemnium) Augustino adiudicavit.

Leopoli

Michaël Wyszyński.
